

CARINTHIÆ Archimagiri sunt Barones de Rothaubt, Wolfgangus Theodoricus hujus gentis alumntus Anno 1649. & 1668. de eo munere à Regimine Interiorum Austriæ Provinciarum Græzii investituram accepit. (p)

CARNIOLA ET GORITIENSIS terra hoc officio Hæreditario destituuntur.

De TYROLENSI Archimagiro monet Comes Brandisus (q) Dynastas de Wellspurg & Primör eam spartam tueri, quam Christophorus Wellspurgius Anno 1568. à Ferdinando Archi-Duce primùm nactus est.

(a) Spangensperger im Adel-Spiegel Lib. 8. C. 9. pag. 143. (b) Pag. 295. (c) P. VI. conf. 258. pag. 3. (d) Par. IV. Tabularii Genealog. (e) Pag. 956. (f) Spangenberg. l. c. (g) Not. Proc. Imper. L. III. C. 12. (h) Archiv. Feudal. Austriac. (i) Docum. Famil. Wurmbrand. (k) Ibi. (l) Archiv. Feudale Græzens. (m) Ibi. (n) Ibi. (o) Ibi. (p) Ibi. (q) Pag. 121.

CAPUT XI.

DE HÆREDITARIO AUSTRICIÆ INFERIORIS JANITORE.

Von Erb-Thürhütter in Oesterreich.

Janitorum Hæreditariorum munus, Erb-Thürhütter, Ampt/celebre & antiquum est. Domini de Werthern Janitores Imperii, des heiligen Römischen Reichs Erb-Cammer-Thürhütter audiunt, eamque dignitatem jam à Maximiliano I. Cæsare, testimonio monumentorum publicorum Cancellariæ Imperialis Aulæ, feudi nomine recognoverunt. Functi etiam novissimè in Coronatione Augustissimi Imperatoris Josephi hoc Officio sunt. Neque apud Austrios Hæreditarius hic honos novus est. Etenim Johannes de Wehing sive Wehingen Vetusti & Nobilissimi Generis Vir circa Annum 1500. Hæreditarius Austriæ Janitor dicitur, Erb-Thürhütter in Oesterreich. (a) Christophorus de Wehing Johannis Filius mortuo Patre, Anno 1528. deinde Wolfgangus Christophori Frater An. 1542. investituram de eo munere nactus est. (b) Postquam autem Wehingü esse desierunt, Domini de Schönkirchen spartam hanc, quam adhuc possident, à Maximiliano II. Anno 1566. Hæreditariam tenore sequentis Diplomatis acceperunt:

M m m m

Wir